

22

L. N. J.

DISSERTATIO GRADUALIS,
De
**AGRICULTURA
VETERUM
SVEO-GOTHORUM,**

QUAM
SUFFRAGANTE FACULT. PHILOS. AD REG. ACAD.
ABOENSEM,
PRÆSIDE

S. S. Theol. Doct. & Oecon. Profess. Membr. Reg. Ord.
de Wasa, Reg. Acad. Scient. Societ. Litt. Upsal. Reg.
Soc. Patr. Stockh. & Soc. Gothob.

D:NO PETRO KALM,

Ventilandam sifit

JOHANNES ARENIUS,
Ostrobothnienfis.

In AUDIT. MAJ. Die XXVI Junii An. MDCCLXXVIII.
Horis post meridiem confuetis.

A B O A E

Impressit JOHANNES CHRISTOPHORUS FRENCKELL,
Reg. Acad. Typogr.

VIRO

Plurimum Reverendo atque Praeclarissimo,
D:no Mag. MARTINO ARENIO,

V. Pastori & Archidiacono Ecclesiae
Cathedralis Aboënsis Meritissimo,
ET

Plurimum Reverendo atque Clarissimo.
D:no THOMÆ ARENIO,

Sacellano in Malax & Solvo vigilantigimo,
PATRUIS DILECTISSIMIS.

Micantibus & sesqui pedalibus Procerum titulis, sua solent adulatores in aurarerudimenta; mei vero est ingenii meorumque virium, animum meum in ingenuos Benefactores gratissimum, rudi sed ingenuo adumbrare penicillo. Dignemini Patrui dilectissimi non fucatam gratiam mei animi simplicitatem, tanta recipere benignitate, quanta ego animi devotione in numera vestra recepi beneficia!

PATRUORUM DILECTISSIMORUM.

Cliens devotissimus
JOHANNES ARENIUS.

Sacellanen vid Wafa och Qveslax Församlingar
Välärevördige och Höglärde,

Herr Mag. GABRIEL ARENIUS,

Min Huldasta Fader!

Så ock

Dygdrådla Frun,

MARIA ELISABETH CASTIN,

Min Huldasta Moder!

Då mitt hjerta icke kan tilfredsställa sig, om det
icke får offenteligen betyga de känslor af djup
vördnad och erkänsla, hvaraf det är intagit; så vär-
des mina Huldaste Föräldrar ej obenäget anse, at
tacksamheten vågat, uppå dessa blad, tekna de två-
ne Ålskade Namn, emot hvilka min vördnad ej förän
med mit väsende kan förfvinna.

Mine Huldaste Föräldrars:

Ödmjuk - lydigste Son
JOH. ARENIUS.



§. I.

Egregie, ut solet, dicit COLUMELLA, rem rusticam sine dubitatione proximam & quasi consanguineam sapientiae esse. Hinc etiam videre licet, quasvis gentes, quae terræ colendæ fuerunt studijsæ, moribus fuisse politioribus & ad sapientiæ regulas magis efformatis, quam quæ in aliis vitam degendi rationibus, ut venatu bestiarum & captura pœciuum occupatae fuere.

Accedit, quod agricultura etiam felicitatem certo modo procuret firmiorem, beatiorem magisque perennem, quam quæ ab aliis exspectari potest vitæ generibus. Præterea etiam inevitabilis est agriculturæ necessitas, (a) quæ nempe tanta est, ut absque illa gentes vitam, quæ humana merito nominari possit, haud queant tolerare, quæque fecit, ut hujus artis scientia semper fere & ubique fuerit culta, cum contra ceteræ scientiæ, in se licet utilissimæ, certis tantum modo temporibus & certis in locis cognitæ fuerint atque promotæ; ut silentio præteream, delectationem, quam parit Oeconomiaë studium, majorem esse, & naturæ humanae, sensuum titillationibus obnoxiae, magis accommodatam, quam quæ ex aliis scientiis, animam abstrusiori involventibus meditationi, facile possit sperari. Hæc pluraque alia quæ nunc enumerare non vacat, Oeconomiaë ruralis decora, eam apud omnes gentes reddidere astutissimam.

nam, ita ut vix illa tam barbara detur natio, quæ non
agricolationi operam navaverit. Quod etiam de antiquis
Sveogothis est verissimum; (per veteres vero &
antiquos Sveogothos illos majorum nostrorum intelligi-
mus, qui sub ipso, ut vocatur, gentilismo ætatem de-
gerunt.) Huic assertioni ut fidem faciamus, non nulla
quæ habentur rei agrariae vestigia apud ultimos nostros
Majores, pro virium jam temporisque modulo, levè
adumbrare constituimus penicillo.

(u) Hanc egregie describit VITRUVIUS de Architect: lib. II. hunc in modum loquens: *ut enim natus in-
fans sine nutricis lacte non potest ali, neque ad vitæ cre-
scētis gradus perducit; sic civitas sine agris & eorum fructibus
in moenibus affluentibus non potest crescere nec sine abun-
dantia cibi frequentiam habere, populumque sine copia tu-
eri.* Vitruvio assertitur CICERO: *meas quidem, inqui-
ens, sententia, haud scio bac an illa vita beatior esse pos-
sit: neque solum officio, quod hominum generi universo cul-
tura agrorum est salutaris; sed et delectatione, & saturati-
tate, copiaque omnium rerum, quæ ad victum hominum,
& cultum etiam Deorum pertinent.* Cato major Cap. XVI.

§. II.

Primus & antiquissimus Historicus, qui Sveciæ men-
tionem facit, est, ut demonstrat nobilissimus LAGER-
BRINGIUS (a) Marsiliensis ille PYTHEAS, qui anno
circiter CCCC ante Christum natum iter fecit ad
Thulen, quam regionem ita describit, ut facile agno-
scatur, illum regiones hasce septentrionales, quarum præ-
cipua est Svecia, visitasse: Ex hujus Historici narratione
qualis illa apud STRABONEM (b) habetur, apertum est,
Sveciam jam tunc agrorum cultur fuisse florentissimam

Memoriæ prodidit PYTHEAS, incolas hujus regionis non solum oleraceis quibusvis & radicibus fructibusque herbarum & arborum, sed etiam graminibus (fortassis quæ vocantur Cerealia, ut secali, hordeo &c) vicitasse; inter quæ etiam cultum isto tempore fuisse perhibet adhuc aliud frumenti genus, quod interpretes STRABONIS *miliū* appellant, sed nobilissimus, quem iterum honoris causa nominamus LAGERBRINGIUS (c) haud immerito suspicatur, esse *festucam fluitantem manna græset*, quæ sua sponte & in Finlandia & in Svecia copiofissime crescit, culturamque, quam ei multo sane lucro tribuunt Poloni & Germani, & ut credimus, majores quoque nostri tribuerunt, etiam apud nos, nostroque tempore meretur summopere. In maius adhuc indicium floris agriculturæ veterum Sveogothorum refert idem PYTHEAS fruges in septentrionali hac terræ parte tribulari atque triturari in ædibus & areis illi usui accommodatis; unde primum est concludere, tunc temporis missionem & collectionem frugum feliori meliorique institutam fuisse methodo, quam qua forsan in pluribus Sveciæ provinciis hodie peragitur.

(a) Svea Rikes historia ifrån de äldsta tider till de närvarende. I Delen. p. 3.

(b) v: Strabonis Geograph: L: IV.

(c) L: c: p: 33.

§. III.

Præter allatum PYTHEÆ testimonium, plurima habemus cultæ apud antiquissimos Sveogothos agriculturæ vestigia. Mentionem *avatri*, magni hujus agriculturæ ministri & indicis, faciunt annales nostri, tempore jam GYLFES. (a) De agris secale cereale producentibus loquitur quidem antiquissima Historiola WOSUNGA SAGAN appell-

appellata (*b*); sed cum non ita planum sit, qua in regione versabatur Siguoder, quando iter per agros fecali confitos (*Ragakurim*) fecerat, certi quid hic concludere non audemus. Cereale autem hocce prius in Svecia cultum fuisse, quam nobiliss: D: Dalin existimat, dudum ostenderunt viri in historia Patriæ veritatem. Hordeum tempore jam GOTHRIKI coebatur a tenuioris fortunæ rusticis in Westrogothia (*c*), Præterea mentionem *Hordei Historiolæ nostræ antiquissimæ plurimis in locis faciunt*, ut silentiæ præteream, easdem de Cerevisia ex hordeo facta, potu illo veterum Sveogothorum palato admodum arridenti, ubique tere loqui. Lini vero culturam apud Sveogothos, antiquissimis retro temporibus viguisse Auctor est Sturleson (*d*) quod etiam piscatura, quam industrie exercebant quæque lini maxime est indiga, satis testatur superque. Minus etiam recte in Sveciam applicarunt non nulli, quod de Germanis habet TACITUS: (*e*) *Nec arare ait, terram, aut expectare annum tam facile persuaseris, quam vocare boves & vulnera mereri. Pigrum quin immo & iners videtur sudore acquirere, quod possis sanguine parare.*

Aliud & sane amplissimum de Svecia antiqua perhaet ADAMUS BREMENCIS (*f*) testimonium; *Svonia inquit, est Regio fertilissima, ager frugibus & melle opimus, extra quod pecorum foetu omnibus antefertur, opportunitas fluminum sylvarumque magna &c.*

§. IV.

(*a*) vid: Lagerbring: L. c. p. 407.

(*b*) Wosunga sagan p. 56.

(*c*) Gautr. och Rolfs Saga p. 11.

(*d*) T. i. p. 813.

(*e*) in libro de situ, moribus & populis Germaniæ.

(*f*) in libr. de situ Danie C. 85. p. 60.

§. IV.

Magnum florentis apud veteres Hyperboreos agriculturæ argumentum, est florens eorum res pecuaria, sine qua agrorum cultus nunquam bene procedit, quæ vero bene culta, agriculturationem summopere evehit & lucrosam reddit atque vigentem. Quicumque veteres nostros annales vel obiter perlegit, abunde perspicit, rem pecuariam a primordiis usque gentis Sveciæ, summopere ei fuisse curæ cordique. Nuper allatum §. 3. Adami Bremensis testimonium, evincit, Sveoniam pecorum foetu omnibus anteferri. Nec aliter evenire potuit in regione, cui res pecuaria in ipsa Religione facerrimo commendata erat modo. Diis suis cuiuslibet generis pecudes immolabant, hinc quam studiose, quam laute, quamque religiose rem pecuariam tractaverint Majores nostri non est difficile demonstratu. Unicum tamen adferamus lautoris rei pecuariae exemplum: maximus sui temporis Heros ROLF KRAKE tam copiosam tamque divitem instituerat rem pecuariam; ut in aula sua C C oves & LX boves quotidie consumerentur (*a*); unde patet agriculturam quæ tanta juvabatur pecudum copia, ad egregium etiam florem perductam sine dubio fuisse.

Quam religiose agri culturam observaverint Majores nostri, etiam exinde remur constare, quod cum tribus in primis festis diebus res suas suis comendarent Diis, ab illisque ea quæ maxime ad felicitatem pertinere credebat, devotis precibus exposcerent, duos horum testorum ad prosperandam religiosa Deorum adoratione agriculturam, maxime adhibuerint. Horum primo, qui in eunte celebrabatur hieme, gratias egere Coelestibus, quod annonam secundaverint, copiamque frumentorum hoc anno esse jussierint; inque grati animi tessera ram viictimas plu-

plutimas, in primis boves immolarunt. Altero vero fe sto, quod in honorem Disse, quæ Ceres fuit Hyperbore orum, mense Februarii celebrari erat solitum, vota fu derunt, qualia solent esse hominum pro futuris bonis, ar dentissima, dignentur Summa eorum Numina, benedictio nem largiri frugibus, quæ anni spes erant & solatium. Hocce die litarunt verrem saginatum, qui magno cum apparatu Diis sacrabatur, illisque ut dicaretur eo magis censemebatur dignus, quod hocce animal, terram rostro effodiendo artem arandi homines docuisse crederetur (b)

Plurima ob temporis angustiam, prætereuntes ar gumenta, ultimum quod adponimus, quodque agriculturæ florem haud patum demonstrat, est, ex immenso populi numero, quo tum abundavit inops nunc tempo ris Civium Svetia, petitum. Si enim fidem adhibere licet pluribus Historicorum Patriæ, qui contendunt, Sveciam quondam vaginam nationum, officinam gentium pulcherrimo appellatam esse cognomine, eam ob caussam, quod antiquissimis temporibus plurimæ natio nes, *Gothi*, *Longobardi* &c. Svecia exeentes, totam Eu ropam fere quasi inundarunt; tum facile constat, im mensum hunc numerum nec potuisse sustentari absque immenso agrorum cultu & numero, nec laboriosas manus, ut hodie communis est querela, potuisse tum de ficere arya, nec arya ubertatem.

B

(a) LACERBRINGIUS l. c. p. 409.

(b) Nobilis: BOTIN in utkast til Svenska Folkets Historia p. 53. 54.

(c) Sed sunt ejam alia indicia, quæ Sveciam antiquis temporibus fuisse valde populosam agriculturamque ejam optime floruisse satis superque ostendunt, vestigia dico cl-

clarissima nostro tempore detecta agrorum in plurimis
eiusmodi locis, ubi per multa secula vastissimæ fuerunt
silvæ, nostro vero tempore excisæ. Numerum au-
tem incolarum vehementissima & funestissima Pestis,
Svecis *Digerdöden* vocata, præter alias causas, immen-
sum quantum diminuit, conf: *Præsidis iter Babus*; p.

121. 191.

